

www.e-rara.ch

**Joh. Zeisoldi, in inclyta salana phys. P.P. honorarii, Diatribe
historico-elentica de sententiae creationem animaerationalis statuentis,
antiquitate & veritate nec non de sententiae propagationem ...**

Zeisold, Johannes

Jenae, 1662

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-47490>

Punctum I. De primae va sententiae huius propagatione.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

De primæva sententi- æ hujuspropagatione.

§. 65. Habet hîc omninò locum id, quod aliàs Scriptura S. hinc inde inculcat, quòd nimirum opera Domini sint propalanda, & dogmata, populo Dei scitu necessaria, propaganda. Veluti Joëlis cap. 1, 3. dicitur & præcipitur: *hec filiis vestris nar- rate, & filii vestri filiis suis, & filii eorum poste- ritati sequenti. Nec non Psalm. 78, v. 3. seqq. dicitur: que audivimus, quæque cognovimus, & qua Patres nostri narraverunt nobis, neque nos celabimus ea filios eorum, in generatione alterâ, (sive atatibus posteris:) qua præcipit Patribus nostris, ut ea nota facerent filiis suis, ut cognoscat ætas postera; filii, qui nati sunt, eum adolaverint, narrent filiis suis; Conf. Psal. 44, vers. 1. & 2.* Omninò hæc talia, uti dictum, hîc locum habent, nosque certiores reddunt, Adamum filis suis veram anima- rum originem commemorâsse, & istos sim- militer filiis suis enarravisse, quò ad seram posteritatem traditio ista pertingeret, & ea cunctis successoribus nota fieret.

§. 66. Adedque quod illa de animæ rationalis creatione sententia per Adamum posteris ipsius innotuerit, ad eosque per traditionem pervenerit, ex eo perspicere est, quòd, ceu ostendunt Scriptores, & inter eos Dn. Schlevogt. b. rec. in *alt. Disp. de e. ear. primi hominis*, inde è temporibus Noachi in hunc usq; diem, illud dogma tenuerunt & tradiderunt omnes Hebræi, adjuti procul dubio, & confirmati in ista sententia, traditione ex majoribus suis [inter quos primus fuit Adam] acceptâ.

§. 67. Postea tradidit eandem sententiam in Pimandro Hermes Trismegistus, qui vel ipse Semus fuit, aut Melchisedecus, Noachi filius natu major, uti statuit Rehefeldus in *Troph. Hermetico-Hippocrat p. 92.* [citante Schlevogtio *l. d.*] vel saltem fuit Noachi auditor, Chusi præceptor & scriba, ejusque liberorum, Isis & Orisidis, præfectus, sicut affirmat Otto Heurnius *l. 2. Phil. Barbar. c. 27.* Tradidit insuper Zoroaster, tempore Abrahami, apud eundem Heurnium *lib. 2. c. 1.* Tradidit deinceps Pythagoras, qui vel Patre Hebræo natus est, vel Judæorum instituta saltem novit, & in multis est secutus, uti scribit *Josephus l. 1. contra Apion.* ac teste Clemente, Judaicò ritu circumcisus est, & doçuit tempore captivis

ptivis

ptivitat̄is Babylonica. Hæc B. Slevogtius
Conf. Mornæus *lib. de verit. Relig. Christ.*
cap. 15. p. m. 23. seqq. ubi, Veteres crea-
tionem animæ & ejus immortalitatem con-
juxisse, & hanc ex illa deduxisse demonstrat.

§. 68. Ebræos insecuti Græci, & inter
eos Philosophorum principes, Plato in Ti-
mæo, & Aristoteles cùm alibi, tùm vel ma-
ximè *in lib. 2. de gen. anim. c. 3.* animæ ratio-
nalis creationem statuentes. Et quamvis
voce *creationis* non utantur, eandem tamen
rem, suâ quilibet phrasi, tradunt. Imò ne
quidem Scriptura S. verbum *creari* adhi-
bet, sed *inspirari* animam dicit; per *io in-
spirari* autem *creationem* denotari, Theolo-
gorum Scholæ & Scholia docent.

§. 69. Quamvis tàm Plato, quàm Aristo-
les suos semper habuere assecras, vel tales, ip-
sorum qui institere vestigiis. Plotinus,
Platoniorum præstantissimus, distinctis
in locis, quæ longâ serie enarrat Mornæus
l. d. cap. 15. p. 240. Præclara de anima ratio-
nali, ejusque natura, origine & immortali-
tate proposita reliquit monumenta, inter
quæ primum & præcipuum est, quòd docet,
*animas humanas non procedere à corpore, neq̄
à paterno semine, sed cæli us advenire, & à
DEO corporibus inseri.* Alexander Aphro-
disiensis, præcipuus Aristotelis Interpres, in
lib. de

lib. de anima, Ipsis Aristotelis verbis hanc rem proponit: *Mens hac, quae nobis inest, extrinsecus advenit, & incorruptibilis est: incorruptibilem ajo, quia ejus natura talis, & hac illa est, quâ extrinsecus illi Aristoteles pronunciat, Vid. Mornæum l. d. pag. m. 242. qui creationem animæ nostræ ejusque immortalitatem conjungit.*

§. 70. Ad Latinos progressum facimus, inter quos primus adest Cicero, qui i. *Tusc. quest. animorum*, inquit, *in terris nulla origo inveniri potest; nihil est enim in animis mistum atq; concretum, aut quod ex terra natum atq; factum esse videatur, aut quod humidum aut stabile, aut igneum. His enim nulla vis inest memoria, intellectus, cogitationis, quæ præterita retineat, prævideat futura, præsentia comprehendat, quæ sola divina sunt.*

§. 71. Succedat Seneca, qui multis in locis cœlestem animæ nostræ originem describit. *In consolat. ad Helviam cap. 6. p. m. 807. inquit: Mens, si primam ejus originem aspexeris, non ex terreno & gravi concreta corpore, ex illo cœlesti spiritu descendit. Et in Ep. 66. ad Lucil. p. m. 300. ratio nihil aliud est, quam in corpus humanam pars divini spiritus mersa. Quemadmodum radii solis contingunt quidem terram, inquit Epistola 41. p. m. 245 sed ibi sunt, unde mittuntur; sic ani-*

mus magnus & sacer, & in hoc demissus, ut propius divina noscamus, conversatur quidem nobiscum, sed haeret origini suae. Illinc pendet, illuc nititur & spectat, nostris tanquam melior interest.

§. 72. Istitis jungendi veteres Poëtae, Prodeat (1) Lucretius, qui sic: *Cœlesti sumus omnes semine oriundi, Omnibus ille idem pater est.* Et iterum: *Cedit enim retrò, de terra quod fuit antè. In terra sed quod missum est ex aetheris oris: in rursus cœli fulgentia templa receptat.* (2) Paulinus Ausonius ep. 14. *Mens quippe, lapsis qua superstes artibus de stirpe durat Cœliti. &c.* (3.) Manlius l. 4. *an dubium est habitare Deum sub pectore nostro, In cœlumque redire animas, cœloque venire?* (4.) Claudianus de 4. consulat. Honorii. *disce orbis, quod quisque sibi, cum conderet artus nostros, aethereis miscens terrena Prometheus, sinceram patri mentem furatus Olympo, continuit claustris indignantemq; revinxit, & cum non aliter possent mortalia fingi.* (5.) Idem cecinit Ovidius, quando sic in 1. *Metamorphos.* *Sanctius his animal mentisq; capacius alta deerat adhuc &c.* *Mentis altae, inquit; i. e. cœlestis originis, sive quod ab alto veniat.*

§. 73. Tenuerunt istam sententiam & tradiderunt Patres; cuncti quidem Orientales, ut etiam inde dogma Ecclesiae salutari

ri ceperit, & plurimi ex Occidentalibus, qui jamjam longâ ferie recensebuntur. Tenuerunt eandem euncti Scholastici, omnesque Theologi Pontificii, adeò, ut Pererius tom. I. in Genes. l. 4. Disp. de creat. Eve q. 8. disertè scribat: *Creationem cujuscunque animæ rationalis à solo DEO immediatè proficisci, jam pridem apud Theologos in Ecclesia Catholica extra controversiam est.*

§. 74. Tradiderunt eandem (de creatione animæ) sententiam multi è nostratibus Theologis, quorum aliquos supra in medium adduximus, quibus plures postea jungentur. Tradiderunt quoque eam plurimi ex Doctoribus Calvinianis, inter quos clarent D. Beza, D. Nic. Hemmingius, D. Petrus Martyr, Hieronymus Zanchius, D. Joh. Jacobus Grynæus, & alii plures imò plurimi.

§. 75. Nec enim hæc sententia, aut hoc dogma [de animæ nostræ creatione] Calvinianum est, aut Pontificium; sicut nec illud de traduce animarum est Lutherianum, cum Lutherus ipse, relicto traduce, alteri de creatione animarum sententiæ fuerit addictus, multosque asseclas post se reliquerit. Primò Philosophicum est dogma hoc, quod postea factum Ecclesiasticum, Patribus id in Ecclesia tradentibus, porroque propagantibus, D 2 §. 76.

§. 76. Tenuerunt postea & tradiderunt eandem sententiã præcipui Scriptores, tam Græci, quàm Latini, Philosophi, Poëtæ & Oratores, quos longò ordine recensere possemus. Nominare lubet in præsentiarum Cæl. Rhodigin. *lib. 2. Lect. Antiqu. c. 22. p. m. 60.* ubi animam ex nihilo creatam à DEO asserit; & in *seq. l. 15. cap. 23.* duo hac in re inquit; primò, quando infundatur anima in corpus; deindè, an aliquam corporis partē priùs infundatur, per quã postea in universa corporis membra diffundatur, *pa. 574. & 575.* Ludov. Vivem *l. 1. de fide Christiana*, ubi iteratis vicibus hoc de animæ rationalis creatione dogma proponit; Scaligerum *Exerc. 6. sect. 11. & Exerc. 290. sect. 2.* Johan. Velcurionem, Profefs. Tubing. in *lib. 4. Comm. Phys. c. 38. p. 215.*

§. 77. Imò, ut compendium rei faciamus, ita res habet, uti edisserit Macrobius *l. 1. in somn. Scip. cap. 9. animarum originem manare de cælo, inter rectè philosophantes indubitata constat esse sententiã, ajens. Notatu dignum est, quod ait: inter rectè philosophantes.* Quò ipso duo pariter inculcat; 1. Philosophi esse, hanc rem tractare, veramquæ de ea sententiam dicere; 2. illos, qui hac in re rectè philosophantur, quiq;

quique rectè hac de re indicant, dudum
in hoc convenisse, quò animæ nostræ è
Cælo suam habeant originē, ut hoc ipsum
assertum indubitatè sit autoritatis & fidei.

§. 78. Imò tandem provocamus ad uni-
versalem consensum. *In summa*, inquit
Mornæus *lib. d. c. 15. p. 249. Percurre ab or-
tu ad occasum, à Septentrionibus ad Austrum,
non Turcas, Arabas, Persas (Alcoranum enim
animam à Deo inspirari, ac proinde non interi-
re docet) sed, qui imprimis barbari, rudes, feri
habentur, Anthropophagos, Canibalos, hanc to-
to Orbe fidem unanimi gentiū omnium consen-
su receptam & approbatam invenias. Et Bel-
larminus lib. 4. de amiss. gratiæ & statu pecca-
ti c. 11. sequentiā hac de re post se reliquit
verba: Est enim ita insitum, inquit, in menti-
bus fidelium, animas à Deo recens creari, cum
fœtus in uteris matrum animantur, ut etiam
agricole, fabri, sutores, muliercule, pueri hoc
sciant. Et si quis contrarium publicè doceret,
pessimè omninò apud Catholicum popu-
lum audiret. In quo etiam in
præsentiarum acquiesci-
scimus, ad alia pro-
gressum fa-
cientes.*